



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput IX. Christus in plateis Ierusalem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)

git. Volebat David animo excutere omnes cruce-
 ces, dum indulgebat omnibus delitiis; Sed cum
 jã videretur depositã omni cruce levis, ecce tibi,
 ipsæ voluptates *sicut onus grave gravata sunt super*
eum: ita ut cogeretur exclamare: Factus sum mihi-
met ipsi gravis. Sed miser peccator bajulans crucẽ,
 non Christi, sed peccati, ambulat demisso capite,
 curvo corpore, mœsto pectore, ejulans perpetuò
 cum Davide: *Miser factus sum, & curvatus usque in*
finem; totã die contristatus ingrediebar. O quanto
 gloriosius est gloriari in cruce Domini, quàm in
 cruce diaboli! Ecce curvatus sum ô JESU, usque in
 terram, ut suscipiam crucem tuam; imponam il-
 lam, ut feram eam. Ecce extensas manus, ut eam
 accipiam; aperta brachia, ut amplectar; parata
 labia, ut exosculer; inclinatos humeros, ut por-
 tem. Portabo usque in finem, ut salvus fiam: qui
 enim in cruce, sicut tu, perseveraverit usque in fi-
 nem, salvus erit. Vivam, ferens crucem; moriar,
 amplectens crucem: nec prius dimittam crucem
 tuam, quàm in manus tuas emittam spiritum
 meum.

Ps. 37. 5.

Ps. 37. 7.

CAPUT IX.

Christus in plateis Ierusalem.

§. I.

Bajulat Crucem.

NUnquam ab origine mundi, quando in
 principio creavit Deus cœlum & ter-
 ram, admirabilius cœlo, terræque exhibi-
 tum fuit spectaculum, quàm tunc, dum Judæi
 Do-

Ioan. 19. 17. Dominum gloriæ eduxerunt ad montem Calvaria. Audite quàm magna & multa sacramenta paucis verbis complexus est Evangelista: *Iesus ergo bajulans sibi crucem, exiit in eum, qui dicitur Calvaria, locum.*

LUC. 6. 19. Itaque Christus unius quidem Pilati voce, sed communi omnium voto ad crucem condemnatus, acceptam à carnificibus crucem, submissimâ totius corporis ac animi reverentiâ, fractis imposuit humeris. Advolabant, ut onus sublevarent, plusquam duodecim legiones Angelorum; quas Christi arcebat charitas, ut major ejus appareret in nos benignitas & humanitas. Expectabat foras prodeuntem *omnis turba*, quæ jam non *querebat eum*, ut olim, *tangere*, sed crucifigere; & quæ antea clamaverat ut tolleretur, jam gaudebat tollendum. Valedicit Pilato Christus, tacito corde hæc verba repetens: Pilate, si cognovisses & tu, & quidem in hac hora, quæ ad salutem tibi. O qualem, quantumque virum, Pilate, dimittis! Præcedit tubicen, qui clangentis buccinæ mæsto murmure totam foribus evocat civitatem. Sequuntur justitiæ ministri, milites, libertores, hoc est, injustitiæ satellites: dein duo insignes latrones Barabbâ nequiores. Tandem progreditur non indecoro sanguine lordidus, magnus inferorum debellator, mortis victor, peccati subactor, mundi Redemptor Jesus, crucem bajulans, & in cruce triumphans. Egreddenti maledicebat Synagoga verbis Semei: *Egredere, egredere vir sanguinum; & vir Belial. Ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.* Huic accinebant Synagogæ Sacerdotes: *Egredere, egredere homo vorax, potator vini, publicanorum & peccatorum amice, fili Beelzebub, malefactor,*

2. Reg. 16. 7.

Aor, everſor gentis noſtræ, filii fabri, Denique
 palinodiam canebant omnes filii Synagogæ:
 qui enim ante ſex dies ingredienti accinebant:
Benedictus qui venit in nomine Domini; egredienti
 canunt; maledictus qui venit in nomine diaboli.
 Ita omnes eum, cùm adhuc ferret crucem, cruci-
 figebant vocibus, cùm non poſſent manibus.
 JESUS autem ibat per medium eorum, ut opera-
 retur in medio terræ ſalutem eorum, *Mediator*
Dei & hominum. Sic ægri illi jam phrenetici di-
 mittunt medicum, de quo *virtus exibat, & ſanabat*
omnes: ſic filii iræ repudiant Patrem miſericor-
 diæ; ſic ſervi nequam pellunt Dominum ſuum
 extra familiam, ſic operarii iniquitatis ejiciunt
 hæredem extra vineam. Hac lugubri pompâ,
 ſub infami arboris mole, ac decuſſatæ crucis
 pondere, Jeruſolymæ plateas obambulat Filius
 Dei, læpius repetens illud ſecum: *Ieruſalem, Ie-*
ruſalem, quoties volui congregare filios tuos; quemad-
modum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & no-
luiſti. Nunquam Chriſtus majori fulſit gloriâ,
 quàm in ſumma hac crucis ignominia: ſic enim
 jucundius Patri ſuo exhibuit ſpectaculum, majo-
 rem Angelos rapuit in ſtuporem, plus homines
 allexit ad amorem, magis omnibus apparuit glo-
 rioſus, quàm ſedens ad dexteram Patris Rex re-
 gum, & Dominus dominantium: quàm cùm da-
 tâ ei jam omni poteſtate in cœlum & in terram,
 millia millium aſſiſtunt ei. Hinc cùm Chriſtus
 gloriæ ſuæ pompam explicaret in monte Tha-
 bor, noluit huic ſcenæ intereſſe, niſi tres ſpecta-
 tores. Sed cùm crucem bajulat, ut oſtendat
 quanta ſit illa dignitas, prodit in publicam lu-
 cem, ex umbra in ſolem, è latebris in oculos om-
 nium hominum, è ſolitudine in conſpectum to-
 tius

Matt. 23.

34.

1. Tim. 2.

5.

Luc. 6. 28

Luc. 19.

Crucem
Christi
ferre
summa
gloria.
Hom. 5.
ad Pop.

tius mundi. Nunquam plures habebis spectatores è cœlo, quàm dum crucem, non tantùm quia necessitate compelleris, patienter; sed quia voluntate exoptas, libenter bajulas. Spectat Deus, & gaudet, quia Christo crucifixus es cruci; spectant Angeli, & applaudunt, quia una tibi gloriæ materia est, gloriari in cruce Domini nostri Jesu Christi; spectat Mater Dei, & congratulatur, quia conformis es Filio ejus: spectant Martyres, & tantùm non invident: spectant dæmones, & præ iracundia frendent; spectant homines, & attoniti stupent. Nunquam ullus Monarcha tot habet spectatores sedens in solio, quàm Job jacens in sterquilinio. Totum cœli amphitheatrum convertit in suum spectaculum. Audiat magnus ille præco Jobi D. Chrysostomus: *Fimus Iobi omni tribunali regio est venerabilior. Ex throni namque regij conspectu, nullum erit spectantibus lucrum; sed temporalis tantùm delectatio nullam habens utilitatem. Ex fimo Iob autem viso, quis capiet omnem utilitatem, & disciplinam, & exhortationem, & patientiam?* Hoc itaque sit tibi certum. Nulla optari potest gloria in hoc mundo, quàm pati pro Christo. Major est dignitas, quia & felicitas, pro Christo contumeliam pati libenter, & cum silentio, quàm potiri totius mundi imperio. In cruce est omnis honor, in cruce summa gloria, in cruce sola salus; quia in cruce Salvator. Si ergo tibi Crux in quo sedeas, thronus; ex quo doceas, suggestus; in qua sacrifices, ara; quo pugnes gladius, & tandem in quo dormias, ut in Domino obdormias, lectus, & eris inter paucos electos. Sed ut illud, quod opto, consequar, ad te me convertito, qui bajulas Crucem pro me. I Christe, habes tandem quod tanto ambitu expetiisti. Iam tunc

tunc, cum in utero Matris factus homo, induisti nostram carnem, desiderio desiderasti ferre hanc crucem. Progredere Iesu, quoniam tempus breve est. Ecce montem, in quo debes exaltari, ut ibi exaltatus omnia trahas ad te ipsum. Ecce montem, in quo opus illud magnum, quod dedit tibi Pater, ut faceres, consummabis. Adhuc tres horæ, & in illo monte inclinato capite emittes spiritum, ut tuâ morte vivat homo, propter quem factus es homo. Ascende ergo in montem Calvaria, ut ego ascendam ad montem gloria. Cum primum incarnatus auspicatus es curriculum, quod tibi Pater præscripsit, exultabas ut Gigas ad currendam viam, jam stas ad viam metatam. Restat adhuc ultimus actus, isque difficillimus tibi, utilissimus nobis, necessarius omnibus, ut qui jam ascendis montem, conscendas crucem, ibique moriendo destruas mortem: tum demum omnibus consummatis, post ignominiam Crucis, eris in gloria Dei Patris.

§. II.

Simon Cyrenæus angariatur.

Quisquis ambit famam transmittere ad posterios; quisquis ambit immortalitatem nominis, observet illam, quæ sequitur, historiam. Cum Christus lento gradu magis reperet, quam incederet, onustus pondere Crucis, *Exeuntes invenerunt hominem Cyrenæum nomine, Simonem, venientem de villa, patrem Alexandri, & Rufi.* O Simon, quantum tibi invidemus, & nobiscum Ecclesia universa! Noli erubescere, noli reluctari, amplectere illud lignum. Hæc Crux laborum

Luc. 23.

26.

Gal. 6.
Matth. 6.
29.

Per cruce-
m ac-
quiritur
nomen
immor-
tale.

barum est, quod omnes Deo militantes sequun-
tur, ac proinde tu es vexillifer: hæc Crux est cla-
vis, quâ aperiendæ sunt portæ cœlorum, & ideo
tu es claviger: hæc Crux est gladius, quo jugu-
landus est dæmon, & ideo tu es armiger. Dic er-
gò palàm, totâ audiente Judæâ: *absit mihi gloria-
ri nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi: quoniam
nec Salomon in omni gloria sua, tam est conspicuus
Majestate, dignitate, honore, ut tu cruce tuâ
quam gestas. Quæritis viam compendiosam a-
periri ad gloriam? Portate Crucem. Quot fue-
runt, qui singulari certamine congregientes, in-
fames arenas suo sanguine cruentarunt. Alii qui
ad lucernas elucubrarunt claros scientiâ libros!
Alii qui insanas ad cœlum usque produxerunt
turrum machinas, quorum uti corpora tumulo,
ita & fama æterna oblivione, jacent sepulta, vel
certè si extant in litterarum monumentis eo-
rum nomina, non sunt scripta in cœlis, & in li-
bro vitæ! Vide mihi istum Divitem, de quo Lu-
cas. Hic, si opus spectes, erat omnium qui in
illa ditione degebant, longè opulentissimus, ut
per excellentiam vocetur dives epulo. Si convi-
via illius consideres, erant & numero plurima, &
quæstu maxima. Hinc dicitur: *Epulabatur quotidie
splendide.* Si vestes adspicias, illæ erant selectu ex-
quisitissimæ, materiâ mollissimæ; nam *Induebatur
purpurâ & bysso.* Quis non judicaret hunc homi-
nem & splendore vestium, & pompâ convivio-
rum, & copiâ divitiarum fore per totum orbem
nominis ac famæ celebritate clarissimum? Ta-
men non tantùm posteritati non est clarus; sed
nec notus. Hinc D. Lucas: *Homo quidam erat di-
ves. Quis ille? Quod ei nomen? Nescitur. Quæ
illi patria? Ignoratur. Quos habuit filios? Ignoratur.**

tum est. Ecce hominem, qui cum viveret, volitabat per omnium ora: jam & nomen, & genus, & patria, & progenies, & familia, non tantum sunt obscura, sed ignota. Nunc vos gloriæ aucupes, vos, inquam, ambitiosi propagandi nominis, & studiosi transmittendi ad posteros famæ, animum advertite, & oculos convertite ad eos, qui Christi crucem bajulant, & intelligetis crucem esse compendiosum gloriæ tramitem. Spectate hunc, quem carnifices angariaverunt, ut portaret crucem JESU; quod illi nomen? Simon: sic enim D. Lucas: *Apprehenderunt Simonem. Quod illi natale solum? Cyrene. Testatur id Matthæus: Invenērunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem. Quot habuit filios? Duos. Quos illos? Alexandrum, & Rufum, Sic scribit Marcus: venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi.* Ecce homo obscuris natalibus, conditione abjectus, opificio humilis, opibus tenuis, verbo rusticus, quia fors teritiâ parte horæ portavit Crucem JESU, jam toti posteritati commissa est ejus fama, universo orbi est nominis celebritate notissimus: exprimitur ab Evangelistis ejus nomen, patria, filii. Ubi cumque prædicatur Evangelium per totum orbem, fit mentio hujus Simonis: pingitur in tabulis ejus imago, exponitur in aris, proponitur in pulpitis. Denique hic vilis terræ filius, hic triobolaris rusticus, famâ est celebrior, gloriâ clarior, & nomine illustrior, uti ejus filius Rufus & Alexander, quam magnus ille Alexander omnibus suis præliis, & Cæsar victoriis, & Augustus potentiâ, & Tullius eloquentiâ, & Aristoteles scientiâ; quam denique omnes totius antiquitatis, & gentilitatis præstantissimi Heroës, universis suis facinoribus, quibus nomina sua immor-

Ephes. 6.
12.

talia reddere contenderunt. Tanta est gloria etiam invitum vel brevissimo tempore, Christi crucem bajulare. Ego ergo, cujus vita est militia super terram, ut possim fortiter prælia Domini præliari, cui est, *colluctatio non adversus carnem & sanguinem: sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum*, sub hoc militabo; sub hoc audacter conferam pugnam, & feliciter consequar palmam, & gloriosè assequar coronam. Sub hoc enim vexillo benè ominato, tota triumphans Ecclesia hîc olim militavit; sub hoc omnes illi invictissimi Christi bellatores obtinuerunt coronam gloriæ immarcescibilis. O quale erit militibus tuis, ó Jesu, sub hoc vexillo merentibus gaudium! quis plausus! quantus triumphus! quando tremente terrâ, fulminante cælo, trepidante totâ naturâ, *parebit signum Filij hominis in cælo: quando fugientibus dæmonibus, frementibus improbis, palpitantibus præ metu inimicis crucis Christi, clangentibus buccinis clamabunt Angeli: Vexilla Regis prodeunt; fulget Crucis mysterium*. Tunc conscendent triumphantes milites Christi, Capitolium cæli.

Matt. 24.
30.

parebit signum Filij hominis in cælo: quando fugientibus dæmonibus, frementibus improbis, palpitantibus præ metu inimicis crucis Christi, clangentibus buccinis clamabunt Angeli: Vexilla Regis prodeunt; fulget Crucis mysterium. Tunc conscendent triumphantes milites Christi, Capitolium cæli.

§. III.

Simone Crucem bajulante, Christus Ierusalem egreditur.

C. 13. 26.

A Ngariatus fuerat Simon in via, ut eum sequeretur qui est via, & qui est veritas, ut sic tandem perveniret ad eum qui est vita. Nec Simon, ignarus licèt, quàm pretiosi ponderis effectus bajulus, reluctatus est: Nam, ut ait D. Lucas, *imposuerunt illi Crucem portare post Iesum. Quàm pauci*

sint bajuli crucis, observate. Non desunt magnæ *Drexelius*
 auctoritatis Scriptores, qui asserunt ad illud tem- *de Christo*
 pus Paschatis, quo Christus passus est, Jerosoly- *patiente*
 mam confluisse, quadragies centena millia ho- *c. 5. p. 2.*
 minum, sive quatuor milliones capitum. Et ta- *9. 4.*
 men in tantâ hominum, qui Christum crucem *Pauci*
 bajulantem partim præbant, partim comita- *Crucis*
 bantur, partim subsequabantur, non est inventus *bajuli.*
 qui Crucem Christi portaret, nisi unus hic Si-
 mon, & ille quidem compulsus. Decem olim
 mundaverat Christus leproso, unus autem ex il-
 lis, *ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna*
voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pe-
des, & hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus di-
xit: Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt?
Non est qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alie-
nigena. O Christe, quàm multi olim, cum virtus
 de te exhibat, & sanabat omnes, comitabantur!
 quanta hominum celebritas latus tuum stipa-
 bat! quot ferebantur in grabatis infirmi, cum
 transires per plateas, ut vel tangerent simbriam
 vestimenti tui, & sanarentur à languoribus suis!
 Quid ni jam dixeris! Nonne quinque millia ho-
 minum panibus à me saturati sunt? Nonne tur-
 ba plurima, tot ægri, cæci, claudi, surdi, paralytici
 à languoribus suis curati sunt: & tot millia ubi
 sunt? Non est inventus nisi unus, qui portaret
 Crucem post Iesum, & hic alienigena est. Nimi-
 rum multi reperiuntur Christophori, pauci Cru-
 ciferi. Spississima erat turba, quæ spectabat Chri-
 stum Crucem bajulantem, unus tantum, qui ba-
 julabat. Etiam asinus Christum portavit, cum
 triumphans intraret Ierusalem. Sic multi desi-
 diosi, inertes, pigri, Christum, dum venit cum o-
 liva, cum dicit: *Pax huic domui, admittent, & hu-*
Luc. 10. 5.

Matt. 16.

24.

Matt. 20.

Luc. 14.

27.

Lib. de

Virg.

Prospe-
ritas pe-
riculosa
est.

meris etiam gestabunt : sed si veniat cum cruce per
& ad eam portandam invitet, dicens ; Qui me
venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem
suam. Durus, inquit, est hic sermo. Hic ipse nat
Christum cum sua Cruce jubent abire e corde, tibi
ut Iudæi Ierosolymâ. Nonne, cum in tanta homin
minum frequentia non fuerit nisi unus, qui portan
taret Crucem Christi, impletum est illud Christi Pro
vaticinium: *Multum sunt vocati, pauci vero electi*. Multi sem
ti enim Christum, cum crucem bajularet, sunt ver
comitati ; unus tantum, qui crucem portaret, est lon
electus. Quasi nullum sit certius argumentum per
electionis, quam ferre crucem. Audi inimicus osci
crucis Christi, loquentem Christum: *Qui non bajulat
julat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse
discipulus*. Quæ verba sic exponit D. Augustinus sing
Quo enim putamus ire, nisi de Christo in Christum, cum triu
Christo post Christum, per Christum propter Christum test
Deinde paulò post: *Cum sequeris viam Christi, non tur
tibi seculi prosperitates promittas; per dura ambulabis, in r
sed magna promissit; sequere; noli tantum attendere quibus
iturus sis, sed & quò iturus sis*. Cave ergò, & time, voc
tibi blanditur fortuna, si tuis semper Deus obsequatur. Si p
secundet votis, si potiarius cupitis, fruaris optatis, cæl
si quidquid desideres, obtines; si tibi cuncta con
fluunt ad vota; si nihil sit quod angat animum, can
vel cruciet corpus; & tu interim pergas accumulare cru:
lare scelera sceleribus, nec Deus peccantem punire con
nit, non tibi applaudas, sed metuas. Ambula per male
viam latam, quæ ducit ad mortem. Suspecta tibi con
fit ista felicitas: nihil enim infelicius felicitate, etia,
peccatorum. Illis paratur crux, non ut Christum sim
longa quindecim pedibus, sed tam longa, quam nun
est æternitas. Numera Beatos, numera damna, tun
tos; longè plures in prosperis, quàm in adversis cor
pe-

perierunt. Rectè D. Hieronymus: *Magna ira est,* 1. Lib.
 quando peccantibus non irascitur Deus. Illa indulgen- Epist. 38.
 tia magna est iracundia. Dum parcit sævit: pœ-
 nam non tollit, sed differt. Si ergò sapias, crucem
 tibi cœlitus immissam, & divinitus impositam
 non refractarius excutias, sed hilaris excipias; &
 quantum tuam salutem.
 Propone hic tibi Christum, quanto & arserit
 semper Crucis suscipiendæ desiderio, & exulta-
 ret, cum susciperet, gaudio. Cum enim adhuc
 longè esset, vidit Crucem, & lætitiâ immensâ
 perfusus est, & accurrens cecidit super crucem. &
 osculatus est eam, & accepit eam in ulnas suas
 ex manibus Patris, quam Pater jam inde ab om-
 ni retrò æternitate, cum genuisset eum, tamquã
 singulare donum obtulit: accepit veluti currum
 triumphalem, quo ipse post debellatas aërias po-
 testates, in cœlestem Ierusalem ovans invehere-
 tur: accepit tamquam prætorium vexillum, quo
 in monte erecto, ex quatuor terrarum regioni-
 bus infinita hominum agmina, ad sua castra con-
 vocaret, quibus totum orbem Patri subjugaret.
 Si peras, quis fuerit illius Crucis faber? Idem qui
 cœli, terræque fabricator, Deus. In hac cruce
 conficienda, tamquam in instrumento pleno ar-
 canis Sacramentis, laboravit Dei potentia, ut
 crux esset veluti bellica machina, quâ arietaret
 contra vectes ferreos, & elevaret portas infer-
 nales, claustraque inferorum evelleret. In cruce
 conficienda fatigavit se, ut sic loquar, Dei Sapien-
 tia, quia illam excogitavit tamquam opportunis-
 simum hominis redimendi præsidium: ut lig-
 num, quod fuerat hominis perdendi instrumen-
 tum, esset ejusdem restaurandi remedium. In ea
 conficienda adhibuit manum Dei Misericordia,

Crucis
 faber est
 Deus.

Hebr. 7.
26.

Ephes. 3.
18.

Crucem
multi
abhor-
rent.

ut esset veluti thronus, in quo sederet ille Advocatus apud Patrem, pro nobis interpellans, & postulans gemitibus inenarrabilibus. In Cruce conficienda impendit & suam industriam Iustitia, quam erexit tamquam aram, in qua ille Pontifex sanctus, innocens, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, Patri se ipsum semel offerendo tamquam hostiam placabilem, Iustitiæ satisfeceret, usque ad novissimum quadrantem. In ea ergo comprehenditur latitudo, longitudo, & sublimitas, & profundum, latitudo Misericordiæ, longitudo Iustitiæ, sublimitas Potentiæ, profundum Sapientiæ. Hinc crux Christo semper fuit, cum remota esset, in desiderio, cum propinqua, in gaudio. O Crux, quæ Christo fuisti in desiderio, quanto Christianis es fastidio! De cruce cogitare, est horror; videre, timor; audire, pavor; portare, labor. Omne nostrum studium est, vitare crucem. Pedes sunt veloces ad effugiendam crucem: manus laborant, ut destruant crucem: aures obturantur, ne audiant de cruce: oculi avertuntur, ne videant crucem. Crux illa, quæ tibi imponitur, in ipso SS. Trinitatis concilio ab æterno tibi fuit decreta, tanquam singulare presidium salutis consequendæ, & tu illam vultu avertaris? manibus rejicis? animo abhorres? humeris excutis? O crux! tu mihi semper posthac eris in oculis, ut videam; in deliciis, ut possideam; quippe in cruce salus, quia in cruce Salvator.

§. IV.

Ascendit Christus in montem Calvarie.

DUcturus vos hodie ex humili in sublime, ex loco submisso ad excelsum, ex valle Ierusalem

Iymæ ad montem Calvaria, hoc est, ad montem Domini, ad locum sanctum; quia in Exodo scriptum lego: *Cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Ideò ut securi sine periculo conscendamus cum Christo hunc montem, priùs consulamus cœleste oraculum: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Audite responsum: ne incurratis periculum: Innocens manibus, & mundo corde.* Duabus ad hunc montem conscenditur virtutibus: innocentia & munditia. Sed nolite timere: Nullus ab hoc monte arceatur, nec impius quidem; quia est mons pietatis: nec immundus; hic est enim, in quo exundat fons, de quo Zacharias: *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatae.* Quare venite, & ascendamus in montem Domini.

Exod. 19.

12.

Ps. 23. 3.

Zach. 13.

1.

Isa. 2. 3.

Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, qui est Calvaria locus.

Tandem aliquando post variarum sacrarum profana Iudicum, coram quibus & accusatus, & condemnatus est, tribunalia, post multas, quas lustravit domos, Annæ, Caiphæ, Pilati, Herodis; post toties repetitas eundo & redeundo Ierosolymæ plateas; post tot viarum molestos anfractus & circuitus; post tot indefessa vota, & diuturnum moriendi desiderium, Christus, qui ante XXXIII. annos propter nos homines, & propter nostram salutem descenderat de cœlo, ascendit jam montem, ut inde ascendat ad crucem, ex cruce redeat ad Patrem: ut quanta cum ignominia pependerit in ligno crucis, tanta cum gloria sedeat ad dexteram Patris; atque ita, qui fuit novissimus in terris, sit primus in cœlis.

Ps. 23. 8.

Cum jam staret in excelsissimo illo montis vertice: Dominus fortis & potens, Dominus potens in praelio, & jam victorici manu teneret illud triumphale Crucis signum, sacrae vexillum militiae, magnae trophaeum gloriae, cruentae pignus victoriae, hoc signo totum tremefecit avernum, totum stupefecit olympum. Tunc visus est quasi tuba exaltare vocem, signum efferre, bellicum canere. & ex quatuor terrarum regionibus milites ad sua castra evocare, ad praelia Domini fortiter praelianda; erectoque gloriosae Crucis labaro altissima voce exclamare, quae olim dixerat: Confidite, ego vici mundum. Ne dubita: vicisti, vicisti

Ioan. 16.

33.

Christe. Ubi tu in istud lignum fueris exaltatus, omnia ad te ipsum trahes. Venient confestim undique ex Oriente & Occidente, & Meridie, & Septentrione coronati Caesares, paludati Reges, trabeati Principes, purpurati Proceres: advolabunt illic densi bellatorum cunei, Virginum, velut Amazonum manipuli, Doctorum turmae, Confessorum centuriae, omnium gentium populi; facturi sub tuae Crucis vexillo stipendium, quod Judaeis est scandalum. Sed dum in hoc monte altius figo pedem, dum hunc locum acerrima mentis acie contemplor, videor

Gen. 28.

17.

Mons-
Calva-
riae estmons
terribi-
lis,

Exod. 19.

18.

audire vocem illam, quam olim perceperat Iacob: *Quam terribilis est locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta caeli.* Est locus terribilis morti, quia illa quae est terribilium omnium terribilissimum, illic devicta est: terribilis Principi tenebrarum, quia ibi ligatus; terribilis peccato, quia ibi remissum; terribilis mundo, quia ibi confusus; terribilis Iudaeis, quia densa tenebrarum caligine circumfusus est. De monte Sinai dictum est: *Eratque mons omnis terribilis; ideoque Deus mi-*
naba-

nabatur: *Omnis qui tetigerit montem, mortem morietur.* *Exod. 19.*

At contra Electis non terribilis, sed amabilis est *12.*

locus iste: omnis qui tetigerit hunc montem, vita
vivet, & non morietur. Iam magnus ille ascen-
sor, qui *equum & ascensorem olim deiecit in mare,* *Exod. 15. 1*

montem ascenderat, & præ difficultate ardui in
montem ascensûs, perfusus undique sudore, ma-
didus lacrymis, cruentus sanguine, sexcentis cru-
ciatibus exhaustus. Sed hoc tibi sit, Christe, inter
tot pœnas pœnarum solatium; quia tristitia tua
breui verteretur in gaudium. Adhuc enim tres ho-
ræ, & Babylon illa magna subvertetur: adhuc
tres horæ, & limbus immenso gaudio exultabit,
dum inde victor captivam duces captivitatem.

Adhuc tres horæ, & mortem nostram moriendo
destrues, & delebis, *quod adversum nos erat chiro-*
graphum descreti, vinces Principem hujus mundi,
expoliabis Principatus & Potestates, palam triumphans *Coloss. 2.*
illos in temetipso. Adhuc tres horæ, & absterget *14.*

Pater tuus omnem lacrymam ab oculis tuis. &
mors ultrâ non erit. Adhuc tres horæ, & *consum-*
mabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de te. *Luc. 18.*

Denique adhuc tres horæ, & tandem, post tristi-
tiam usque ad mortem, post angustias usque ad
agoriam, post sudorem usque ad sanguinem,
post confusionem usque ad nuditatem, post inju-
rias usque ad alapas, post obedientiam usque ad
mortem, & mortem crucis, in cruce exultans di-
ces: *Consummatum est.* Et in manus Patris trades *Ioan. 19.*

spiritum tuum. Tunc convocabis *amicos tuos, &*
vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni *39.*
operam meam, quæ perierat. Tunc gaudente cœlo,
Luc. 15. 6.
congratulantibus Angelis, applaudente Patre,
dices cum prodigi patre: *Manducemus & epulemur,*
quia hic frater meus, homo mortuus erat, & revixit;

perierat, & inventus est. Hæc omnia post tres horas consummabuntur in monte hoc. Sed quid ego Christum consolor? Non consolatoribus istis Christus eget. Unum est illi tormentum, debere tam citò mori, non posse graviora pati tormenta. Unum illi erit solatium, quod exoptat, maximum, si plures cum illo hunc montem conscendant. Cùm statuisset Deus Pentapolim sulphure & igne è cælo fluente funditùs delere, jussit per Angelum indè discedere Loth, ut eum, aliis pereuntibus, incolumem servaret. Sed quid præcepit Angelus Loth, ut declinaret mortem, servaret vitam? *In monte salvum te fac, ne & tu simul per eas.* In monte hoc salvum te fac, in quo Salvator operatus est salutem nostram. Si tumeas superbiâ, si lascivias luxuriâ, si torpeas acediâ, contabescas invidiâ, jaces in valle: ergò *in monte salvum te fac.* In monte Myrrhæ, in monte Calvariæ, qui Christi sanguine est imbutus, & morte ejus consecratus. In illo monte salvum te fac, in quo talus mundi mundum Patrî reconciliavit. *Hic habitabo, quoniam elegi eum.* Descendam ex montibus illis maledictis Gelboë, ex montibus superbiæ gloriæ, honore, super quos nec ros, nec pluvia divini Sanguinis cadit: ascendam crebris cogitationibus ad montem Domini, in quo expiravit gloriæ Dominus. Frustrâ alibi curro ut salvum me faciam. Unde enim possum sperare aliquid boni nisi à te, cui pro bonis tot mala retribuisti? Honorem nullum possum sperare, nisi à te, quem despexi: veram læticiam nullam sperare nisi à te, qui pro me tristis fuisti usque ad mortem: vitam frui non possum, nisi per te, cui vitam eripui. Ad te ergò redeo pœnitendo, qui à te fugi peccando. *In hoc monte salvabor, ubi salit fons, undè lavabor.*

In monte Calvariæ talus, Gen. 19. 17.

Pf. 131. 4.

bor. Una salus nobis, per te sperare salutem. Tu factus es mihi in salutem, qui dixisti: Salus tua ego sum.

Ps. 117.

28.

Ps. 34. 30.

CAPUT X.

Christus in monte Calvariæ.

§. I.

Exiit Vestibus.

Magnus ille Bellator, qui docet manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum; pro summa rei decretoriam pugnam pugnaturus, prostraturus aërias potestates, triumphaturus Luciferum, debellaturus mundum, & eieciturus foras Principem mundi, voluit omnia exuere quæ erant mundi, dum placuit nudum mori: confundens hoc modo prudentiam mundi stultitiâ, infringens fortia imbecillitate, obscurans gloriam ignominia, infamans opes nuditate, resuscitans mortuos sua morte. Exiit ergo suis vestimentis, ut nudus pugnet, sic pugnando vincat, vincendo triumphet, triumphando totam triumphantis Ecclesiæ regionem immenso gaudio perfundat. Mox ergo illi vestes detractæ, & una jam non cutis, quæ pridem flagellis cesserat, sed caro ipsa, quæ sanguinis concreti quasi glutino ad vestem adhæretcebat, evelli frustatim, & sanguinis rivuli manare cœperunt. Ita Christus toto corpore nudus expositus undique frigido aëri, perfusus stillante cruore, laceratus vulneribus, fatigatus laboribus, oppletus doloribus, circumseptus tortoribus, verè nunc non homo, sed

ver-

Ps. 143. 1.